



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Et Docta Divi Alchimi Aviti Viennensis  
Archiepiscopi, & Claudij Marij Victoris Oratoris  
Massilie[n]sis, poëmata, aliaq[ue] non poenitenda**

**Avitus, Alcimus Ecdicius  
Marius Victor, Claudius**

**Lvgdvni, 1536**

Capvt IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12149**

Sola subacta iugo non æquam ducere sortem.  
 Et quum longa decem complent fastidia mēses  
 Perfectoq; grauis fœtu distenditur aluus:  
 Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri  
 Infligunt duros vtero turgente dolores.

## C A P V T I X.

**E**T quum luctato soluuntur viscera partu  
 Carnis delitias immenso tormine pendit.  
 Sed tamen hunc lenit dices fortasse dolorem  
 Editus in lucem si viuat filius: atqui  
 Contingit plerumq; gemens vt mortua fundat  
 Pignora, deformem' ue emittat in aëra massam.  
 Ne dicā quod monstra parit sepe horrida mater.  
 Illud iam leuius quoties interuenit, ipsa  
 Ut pereat tum sola parens, ac pondere fusco  
 Emittat cum prole animam: quod forte leuatum  
 Nutritumq; diu rapitur si funere pignus  
 Vnica quod crebro spes respicit, hic perit omne  
 Quod sibi conceptis spondebant gaudia curis;  
 Omnibus id vero grauius si forte lauaci  
 Diuinī expertem tenerum mors inuidā natum  
 Præripiat, dura generatum sorte gehennæ:  
 Qui mox vt matris cessarit filius esse

Perditionis

Perditionis erit; tristes tunc edita nolunt  
 Quæ flammis tantū genuerunt pignora matres.  
 Quis vero tanti narrare pericula casus,  
 Aut utriusque queat discrimina coniugis, in quæ  
 Perducit tandem dilectæ gloria carnis?

## CAP V T X:

**A**T late longeque tuam discernere sortem  
 Libertas cū lege potest, qua necteris, vt te  
 Impia fallentis non stringant gaudia mundi,  
 Tu Mariam sequeris dono cui contigit alto  
 Virginitatis & matris gemina gaudere corona,  
 Conciperet quum carne Deum, cœlicque creator  
 Intraret clausum reserans mysteria ventrem,  
 A genitrice satus: sed quam formauerat ante:  
 Qui nitidam elegit de qua procederet aluum,  
 Solus qui carnis proprium disponeret ortum  
 Præsciretque diem longe, tempusque videret,  
 Quo pariendus erat: quod ubi iamque adfore nouit,  
 Intactam matrem pro spermate sanctus adumbrat  
 Spiritus, hac tantum sanctum præbente cruore:  
 Inde caro verbum efficitur: quique imperat ipso  
 Cum patre in cœlo, materno in corpore seruit.  
 Ante æuum de patre, & matre in tempore natus

Mariavirgo  
& mater.

k 2 Seminis